



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.24. S. Bonaventuræ initia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

§. XXIV.

*S. Bonaventuræ initia.*Sæcul. XIII.
A.C. 1256.

Balneum Regis in Hetruria Summo Pontifici subditum an. 1221. Bonaventuræ octavo Fratrum Minorum Ministro Generali cunas dedit. In baptismo nomen Joannis nactus, cum quatuor annorum esset, gravem in morbum incidit. Itaque mater eum sua in preces S. Francisci etiamnum viventis commendabat, promittens fore, ut eum, si convalescat, ipsi in disciplinam tradat. Vir Dei pro infante precatus, & mox sanatum videns exclamabat italice: *O buona ventura!* O fors egregia! Hæ voces in nomen abibant, quod ei cum nomine Joannis adhæsit: solebat is autem illo vocari nomine, quod ipsum magis distinguebat. Anno 1243. ætatis vigesimo secundo Ordini Minorum ex matris voto se addixit. Brevi ad litterarum studia Parisios missus, ibi celebrem Alexandrum Alensem habuisse Magistrum dicitur: qui juvenis morum candore ac innocentia motus, Adamum in eo non peccasse videri dixit. Bonaventura Doctor erat, & Theologiam tradebat Parisiis, cum in Ministrum Generalem electus est anno vitæ 35. post ingressum Ordinis 13.

Vading. An.
1221. n. 45.*Idem. script.*
p. 61.*Vita ap.*
Sur. 14.
*Jul.**Vading. An.*
1243. n. 2.

§. XXV.